

Rudolf Wedekind


Viro Magnifico Georgio Henrico Ribovio Theologo Ac Philosopho Summo Fasces Academicos IIII. Non. Ian. M D CC XXXXVIII. Collatos Praefatus Nonnulla De Usu Philologiae In Philosophia Gratulatur Rudolfus Wedekindus Art. Mag.

Gottingae: Hagerus, 1748

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn826115543>


Druck Freier  Zugang






388 a. B.
48. b. d.


Fa 1092 (3.)



3.)


2.
3.





24

3



VIRO MAGNIFICO
**GEORGIO HENRICO
 RIBOVIO**

THEOLOGO AC PHILOSOPHO
 SUMMO

FASCES ACADEMICOS

III. NON. IAN. CID IO CC XXXXVIII.

COLLATOS

PRAEFATVS NONNVLLA

DE

**VSV PHILOGIAE IN
 PHILOSOPHIA**

GRATVLATVR

RVDOLFVS WEDEKINDVS

ART. MAG.



GOTTINGAE

TYPIS IO. FRID. HAGERI.

26.

2

VIRO MAGNifico
GEORGIO HENRICO
RIBOVIO
THEOLOGO AC THEOSOPHO
OMNINO
FASCES ACADEMICOS
HAB. NON. JAN. MDCCXXXVIIII
COLLATOR
FRATRES NONNULI
IN
VSV PHILOGIAE IN
PHILOSOPHIA

GRATULATUR
RUDOLPHVS WEDERINDVS

ART. MAG.
XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

CELTINGAE
TYPIS IO. FRID. HAGERI



DE
VSV. PHILOGOGIAE IN
PHILOSOPHIA.

§. I.



lacet, quod *Ren. Cartesius*, (a) magnus certe, quod Philosophiam restaurabat, novorum inuentor, noua se non scribere obiicientibus respondit: nulla sicut scribi possint vocabula, in quibus aliae sint quam alphabeti literae, nec sententia impleri, nisi iis verbis

(a) Vid. la Vie de Mr. Descartes par *Adrien Baillet* T. 2. L. 8. Ch. 10. p. 545. Quibus iunge verba *Nicol. Bolaei* (du Sieur Boileau Despreaux) ex praefat. opp. diuersi. *Qu'est ce qu'une pensée neuve, brillante, extraordinaire? Ce n'est point, comme se persuadent les ignorans, une pensée, que personne n'a jamais eue, ni dû avoir. C'est au contraire une pensée qui a dû venir a tout le monde, & que quelqu'un s'avise le premier d'exprimer.*

26.

2



bis constet, quae sunt in lexico; sic nec librum scribi posse nisi ex iis sententiis, quae apud alios reperiuntur. Legi suo loco merentur, quae egregie vir summus apteque porro disputat.

Scilicet sunt plurimi huius aevi homunciones, qui, quasi omnia vetera & antiqua prorsus tenerent, a scribentibus hodie non nisi plane noua atque inaudita postulant. Turpiter se gerunt hi, noua clamitantes, dum vetera nesciunt: qui si in antiquum orbem paululum reuerterentur, plurima quotidie noua ipsi reperturi erant; nec opus foret, a scribentibus vt ea expectarent.

Quantum sit, quod his ^{veo Philois} iure vel tribuas vel indulgeas, viderint hi ipsi, qui ad eorum mores palatumque se attemperant. Cogitent per me, qui ad scribendum animos appellunt, soli, vt solis cogitantibus, aut si mauis, cogitare se solos putantibus faciant satis!

Equidem hanc noua scribendi religionem prorsus exuo, nec valde curo, si qui sint homunculi elegantes vsuque vitae perpoliti, quibus sordeat meum scribendi genus, quiq; nullum adeo inter recentiores auctores locum promereri me existiment. Haeretici plerumque erant inter priscos, qui noua scribebant. Haeticus sim inter auctorulos nouissimos, quod antiquissima referam. Scilicet rem hoc loco, cuius de veritate nemo vnquam, plebem eruditam si excipias, dubitauit, proponam, verissimam, antiquissimam eandem ac prope obsoletam, sed repetitu tanto digniorem, quo plus non eruditus, sed plebi scribendum hodie esse arbitror. Veniam



niam aequos h. e. intelligentes rerum aestimatores tanto facilius mihi largituros confido, quo probius ea recoquuntur semper, quae, licet multoties vel scripta vel dicta sint, nec satis tamen scripta sunt, vel vnquam scribi possunt.

Fuit praeterea, si quem nouitatis honorem in me deriuare velim, ea rerum ab omni aeuo ratio, vt, si circulus veri transactus quasi sit, antiquissima quaequae sub nouo nomine luci saeculoque restituantur.

Horum in censum primo iure venire puto consilium, quo sacrum istud, ex quo omnia apud eruditos pendere ipsi eruditissimi quique viri continuo professi sunt, Philologiae studium vel illis commendatur, qui neglectus cuiusdam heic ceteris sunt suspectiores quodammodo, & quorum in primis esse vulgo putatur, vt noua inueniant. Iuuabit ergo paululum disquirere, quo iure se inuicem osculari debeant Philotophia atque Philologia.

§. II.

Quod vt rectius intelligatur, dispiciendum ante erit, quid sibi velit vtrumque vocabulum.

Philologiam ergo, qui recte philosophantur, appellant eruditionem ex libris, praesertim antiquis, h. e. graecis & latinis, & qui eo ducunt, comparatam; quam notionem si grammaticae habere velis, erit philologia amor siue studium librorum antiquorum (hi enim hic λόγοι (b) sunt,) & qui ad eorum intelligentiam faciunt.

§. III.

(b) In enucleando vocabulo non est cur prolixè agam. Hic qui sitim restringere cupit, ad lexica eum ablegatum volumus.



§. III.

Vocabulo plerumque videntur decepti (τὸν λόγον enim *unico vocabulo* absolui putant & saepe garrunt) qui aliter statuunt. Sunt quippe plures levis notae homines, qui dum ἀφιλολογίαι macula ipsi laborant, intorto supercilio & fastu non nisi ἐχθρόλογον decente in Philologos nescio quam praerogatiuam sibi arrogant, quod hos in sola latinae linguae cognitione, seu vt loqui amant, in nuda vocabulorum notitia versari autumant. Eo vsque abit eorum stultitia, vt philologis inter doctos homines ne locum quidem concedant.

Hi vere sunt, qui, vbi vel maxime λογιστικοὶ sibi videntur, rationem maxime subripiunt. Scilicet parallelismum perpetuum inter λόγον *rationem* & λόγον *orationem* nec animaduertebant, nec vt animaduertent, erant satis logici. Probe ergo curarunt: verba enim atque adeo orationem dum damnant, ipsam rationem proscribunt; quia oratio nihil aliud est, quam mens s. ratio foras prodiens, & philologia adeo nihil aliud, quam remedium ad loquentem sapientiam.

Totum vitium, si quid iudicare possum, in eo latet, vt hi homuli graecam latinamque linguam cum

lumus. Interim non est dubium, quin *libros* suos vocauerint λόγους scriptores antiqui. Ita quoque ipse Lucas Act. I, 1. Sic graecis scriptoribus λόγον ποιῆσαι idem esse constat, quod *librum conficere*, frequenter etiam speciatim, *orationem* l. *narrationem contexere*, vnde historici ipsis λογοποιοὶ dicti fuerunt. vid. *Raphel. Not. Polyb. p. 295. ex lib. III. p. 373. 423.*



cum quacunq̄ue alia nude confundant, eandemque harum cum aliis linguis rationem esse, vel si quondam fuit, nondum defuisse esse, temere sibi persuadeant.

Facultatem latinae linguae in se spectatae aequius esse eruditionem, ac facultatem gallicae, anglicanae aliarumque linguarum lubentes largimur; sed Latii lingua *in se* non amplius nisi solo conceptu (eoque satis infocundo) spectari potest, quia desit esse viua.

Sed longe etiam aliter comparatum est cum graeca latinaque & aliter cum aliis linguis; nec commenticia est praerogatiua illa Graiorum Romanorumque. Hi vt prae se ferunt, se debere omnia graecis; sic omnes hodie gentes cultae in eo conueniunt, se quidquid habent τῶν λόγων h. e. literarum elegantiorum debere vtrisque. Quodsi ergo tota (quidni ita dicam?) nostra eruditio ex eorum penu, prout nunc res sunt, haurienda est, quod non idem fit ex aliis linguis, quis sui foret tam immemor prudens rerum arbiter, vt de fontibus eruditionis, genuinisque ad eruditionem perueniendi remediis detrahere sibi non duceret religioni? Sed nec vllum quoque (sic iubet rerum natura) nisi artis plane ignarum tanta vnquam dementia cepisse potest, vt graecae latinaeque linguae in se spectatarum cognitionem philologiam vocari putet.

Reuertantur ergo ad se ipsos, qui vocant, & cogitent paululum, qui sint!

Ebraeorum lingua in se spectata nec est eruditio, nec Theologia. Sed abstrahe, si placet, linguam ab



ab eo, quod ista scriptum est, & vide, quorsum eua-
ferit tua Theologia!

Misere igitur vel sua ipsorum vapulant ignoran-
tia insanientes philologiae, maximi humani generis
boni, obtrectatores (c).

§. IV.

Prono ex iis, quae dicta haecenus sunt, fuit
alueo, non esse solius memoriae, sed vel maxime
iudicii opus philologiam; quod ipsum vberius iam
pro enodanda genuina philologiae notione common-
strandum erit.

Finge, (*κατ' ἀνδροπον* enim paulum disputare lu-
bet) memoriam facere vtramque philologiae pagi-
nam! quid inde aduersus philologos vel turpe, vel
inhonestum, vel damnosum vel denique tantum
periculosum? Argus sit, qui videat. Inepti certe
sunt inepteque agunt, si qui memoriam deprimunt,
eamque non aequae magnum necessarium ac vtile
bonum reputant, ac reliquas dotes, quibus animum
instruxit conditor munificentissimus sapientissimus-
que. Quae ars, quae disciplina est, quae non nisi
infelicissime caret memoria?

Sed, credo, id quod secundum est, non habent
nostri philosophi, quod suo adeo acumine super-
biant. Etiam systemata hodierna sola multi memo-
ria

(c) Aliis quaestionibus, quas ideo intactas relinquo, eandem
controuersiam absoluit, sed humanius quam par erat, de-
cidit, qui maxime decidere poterat, Auctor nostri saeculi
classicus, Gesnerus, in not. ad Hein. ipso statim proce.
§. I. p. 2. sq.



ria comprehendunt, & demonstrasse se putant, vbi alienam demonstrationem memoriae mandatam decantant, sibi que *μετὰ πολλῆς Φαντασίας* vindicant, quod vel ipsi philosopho Stagyrtae vel praeceptori proximo acceptum referre debebant, si hoc loco verum dicere fuisset visum (d).

Sed si tertio loco dicendum est, quod res est, iudicandi praesidiis tanto magis instructos oportet esse, si qui veteres legunt & intelligere cupiunt: non totos enim hi ponunt syllogismos, non totas demonstrationes; sed enthymemata, solitariasque enunciationes, quarum nexus iudicio nisi inspiciatur, nihil agas. Est hoc vel ipsum iudicii negotium. At plura sunt, quae iudicium afferat lector postulant, si sapere vult.

Sed hic morbus est, qui late nimis grassatur, & quo correpti plures verum veteribus pretium statuere nesciunt. Scilicet legunt; non intelligunt: intelligere sibi videntur; aut negligunt, aut irritis vanorum hominum opinionibus (nonne hic morbus iudicii pessimus?) occupati vel fascinati, quid in eis diuinum, quid sapienter cogitatum vel prudenter expositum, quid ad sapientiae facultates lautius instruendas

(d) In his duobus commatibus nemo me in eo fuisse confeat, vt quid sinistri contra philosophiam statuerem. Non sum tam oblitus mei, vt vitae meae genus ipsemet accusarem vel suspectum reddam. Aliter certe nuper adhuc me docuit praeceptor celebratissimus, *Excell. Holmannus* in progr. de comparata scient. eleg. dignit. & iusto cuius statuendo pretio.

B



das omnemque conformandam vitam accommodatum sit, non assequuntur.

Lectorem ergo requirunt veteres non minus intelligentem, quam diligentem, acutum, sagacem, perspicacem in exquirendo & diiudicando vero; calidum & circumspectum in explicando perspicendoque auctoris consilio. Verbo: acromatica sit lectio (e) nisi

(e) Nimirum habebant vetusti sapientiae in graecia magistri scholas *exotericas* & *acroamaticas*. Illis neminem prohibebant. Hae paucis patebant. Τοῖς ἐξωσημοῖς (Cic. ad Att. III. 15.) externam sapientiae formam in tabulis quasi depictam ostendebant eminus. Ἀχροαμασίης autem propius admittis ipsos quasi fontes recludebant, ipsiusque sapientiae mysteria petitis ex doctrinarum visceribus argumentis aperiebant. vid. A. Gell. N. A. L. XX. C. III.

Probabile admodum est, *Aristotelem*, huius rei auctorem has scholas ideo *acroamaticas* nuncupatas voluisse, quia philosophia subtilior h. e. diuinior & utilior, quae in iis tradebatur, non aliter ac attenta auditione percipiebatur. Idem est, quod *Tullius* duo librorum genera constituit, *unum populariter scriptum, quod ἐξωσημόν appellabant; alterum limatius, (ἀχροαμασίης) quod in commentariis reliquerunt. de fin. L. V. C. 5.* His respondent, quae *Aristoteles* teste *Gellio* L. XX. C. III. indignabundo *Alexandro*, quod disciplinas, quibus ipsemet formatus esset, euulgasset, rescripsit: Ἰσθι ἀχροαμασίης λόγος καὶ ἐκτεδομένους καὶ μὴ ἐκτεδομένους. Συνεῖσι γὰρ εἰσι μόνους τοῖς ἡμῶν ἀκούουσι.

Pertinere omnino etiam huc videtur illud *Marci* genus *Ἰερνῶσηρον, Ad Quint. Fr. III. 3.*

Eandem igitur, ut iam omnia complectar compendio, animi attentionem, idem iudicium, eandem vim ad legendos veteres necesse est afferas, quae quondam ad audiendas eorum



nisi quis enim lector τὸ θεῖον καὶ τὸ πραγματικὸν au-
ctoris inueniat perspiciatque, nec iudicio pollet nec
philologus est. At, bone Deus, quam amplum & ardu-
um hoc negotium! Quam orba haeredibus philologia?

Rari quippe boni.

Quartum denique argumentum iungere liceat.
Criticos scilicet dum appello, hos κατ' ἐξοχὴν iudi-
ces esse nemo ignorat. Horum excellentiam cum
ipse excellens auctor (f) pingat, nec pluribus pro
effingenda velut vera eorum imagine opus sit, &
criticos & auctorem nominasse sufficiat.

§. V.

Ex his demum intelligi potest, quam late pa-
teat nomen philologi, & quam philologus h. e. do-
ctus vir ipse debeat esse is, qui hos homines nosse
cupit: non enim qualicumque noticia vocabulorum
onustum esse, sed verba ex ipsis rebus libro compre-
hensis nosse, ea demum philologia est. Eo usque
dum perueniatur, quot & quanta legendo, relegen-
do, iudicando examinandoque oportet addidicisse phi-
lolo-

eorum scholas acroamaticas afferebatur, si eos legendo as-
sequi & sapere gestis. Lege hic omnino *Gerneri Philolo-*
γοῦ ἀπορίσεις de lecti. cursor. & stat. in praef. ad Plin.

(f) *Longin. περὶ ὑψ. τμή. σ. ἐστὶ δὲ* (de euitandis impedi-
mentis vel vitiis irrepentibus τῷ ὑψει loquitur) *ἔτινα πε-*
ριποιησάμεθ' ἐν πρώτοις καθαράν τῆ κατ' ἀλήθειαν ὑ-
ψας ἐπιστήμην καὶ ἐπίκρισιν καὶ τοῖ τὸ πρᾶγμα δύσ-
ληπτον.

ἢ γὰρ τῶν λόγων κρείσσις πολλῆς ἐστὶ
πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.

B 2

lologum? Manet perpetuo istud Tullianum: *dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit*. Non ergo de verbis, sed de ipsis auctorum cogitatis statuit philologus, num quidem vere, num bene, num acute, num distincte cogitauerint atque excellenter. Haec demum sunt, quae sua sponte gignunt & sensum & notitiam vocabulorum. Non esse rem paruam ideo vel de vocabulis, hinc fit euentissimum: ante enim quam de vocabulis certe tutoque constet, ohe quam multa antecedere debent! ohe, de quam multis veritatibus ipsis ante constare debet! Meminisse hoc debebant, qui gustum aliquem prae se ferunt, qui didicisse se fideliter artem vere beneque cogitandi ab antiquis iactitant, antequam transferrent ex graecis latinisque in nostram linguam ipsi, ipsique antequam vel canerent vel scriberent.

Solet id genus hominum post aliquam alicuius fabulae gallicae lectionem esse tam arrogans tamque superbum, vt latine se nescire ipsum ne quidem sentiat; quin ex suo sensu tanquam magistratus praescribat omnibus, quid credere debeant; sibi que cum placeat nemo, se suaque placere omnibus, iure suo meritoque quasi postulet (g).

§. VI.

Tantum quidem de conceptu philologiae, cuius ambitum breuiter permeare vel ideo opus videbatur, quo facilius clariorque eorum, quae dicta sunt fieret applicatio. Iam de philosophia.

Sed

(g) Lepidos & gallicizantes germanulos hos egregie & pro meritis depectit formatque Ill. *Liscovius* in praef. tota ad Heinekenii Longinum.



Sed videamus ante, quid sit, quod profiteamur
nomen, ne in cassum laboremus.

§. VII.

Est philosophia amor sapientiae, sapientia au-
tem cognitio & amor veri bonique. Quae nisi ha-
beat philosophia systematica, non est philosophia.

§. VIII.

Num aptum sit nomen Pythagoricum expri-
mendae verae negotii philosophici notioni, aptiusne
σοφίας an aliud aliud nomen h. l. non disputamus. Per-
tinent haec ad prolegomena collegiorum, aliorsum-
que. Nec recuso aliam finitionem, saluis nihilota-
men minus iis omnibus, quae volo.

Multus hic versari solet error. Quae tantum de
sapientia & philosophia h. e. studio sapientiae vera sunt,
ea transfert unusquisque ad systema suum.

Sic ergo res facillime expediri potest: vbi ve-
rum est, vbi bonum est, ibi opus suum facit sapien-
tia, ibique locum habet philosophia.

§. IX.

Quaeras ergo: num hosce thesauros, quae ve-
ro & bono continentur, veterum scriptis abscondi-
tos referat philologia? At non est dubium: quod fa-
cile probari potest. Speciatim enim nisi probare pos-
semus, vel illud dubitantem generatim monere lice-
ret, vt cogitaret, veterum libros bonam partem ab
ipsis philosophis esse scriptos. Regnat, si quos pau-
cos in contrarium adducere possis, certe studium ve-

si bonique in plerisque; & multos esse, qui dedita o-
pera philosophice scripserunt, res est notissima.

§. X.

Obiicies: in philosophia non quaeri, quid alii
dixerint, sed simpliciter, quid verum & bonum sit?
Plura sunt, quae responderi possunt.

a) Ergo respondendi tanta me mouet audacia,
vt falsissimum id esse statuam, si id considerem, quod
plerumque fit. Deinde si id quaeritur, quod sim-
pliciter verum & bonum est, non erat res arbitrii
nouorum hominum, aliud, nescio quo nomine ap-
pellem, inuenire, (verum enim bonumque appel-
lari nequit: nam datur tantum *unum simpliciter ve-
rum bonumque.*)

Quis ergo veteres tam brutos existimet, vt hos
etiam non simpliciter verum dicere bonumque pro-
ponere potuisse statuatur, quam nouiores?

Et quid fiet quaeso de nouis inuentis? syste m
Boldekenii nuper admodum inuentum neque verum
neque bonum est. Noua, quae simpliciter vera sunt,
in recentiori philosophia, (puta, vbi proprie philo-
sophandum est, nec res ad experimenta recidit) in-
uenta equidem scire vehementer cupio. Hypothe-
ses sunt, arbitrariaeque sententiae, quarum sub iu-
dice adhuc est, & forte semper erit veritas.

Nec credimus, quia Seneca, vel quisquis alius,
dixit; sed quia Seneca simpliciter verum dixit: quod
num dixerit, bonumque num proposuerit, legendo
philosophetur philologus.

In



In ipsa Mathesi non inveniuntur hodie numero-
rum, linearum, superficierum corporumque pro-
prietates. *Pascalii* pauci. Et qui docentur hodie
philosophiam, iis traduntur sententiae praecepto-
ris sui. Nec verum est, si qui pleno collo clamant,
se alios cogitare velle docere: suas scilicet quasdam
cogitatiunculas tanquam normam illis commendant.

Quidni utimur norma antiqua, probata eadem,
& optima, quam normam simul esse non solum ve-
re beneque sed etiam pulchre cogitandi, quo quis
est humanior, tanto magis confitetur.

Vera quae sunt, sunt veterum; sed systemata
sunt nouorum.

b) Est profecto absurdum, non velle vti supe-
rioribus inuentis in philosophia, cum in millenis aliis
rebus sine dubio utamur, gratiamque habeamus in-
ventoribus: ut si quisque geometriae studiosus vel-
let inuenire demonstrationes! Nec fit, nec fieri po-
test; sed quo quis est γεωμετρικότερος, hoc magis se-
quitur numeros lineasque Euclideanas.

Est sane, cur plurimi homines φιλοσοφώτατοι in-
ter magnam sapientiae impedimenta retulerint semper,
quod suum sibi quisque systema condit.

c) Sed est adhuc, quod tertio loco responderi
potest obiicientibus. Verum quippe & bonum non
modo inest in propositionibus generalibus generalis-
simisque, quas quis potest pulchre didicisse & toto
die cantare, & tamen esse imprudentissimus & tur-
pissimus; sed in singularibus, ex quibus demum il-
lae generales collectae sunt.

Hoc



Hoc ubi concessum est, ut concedi debet, salva manet philologiae philosophia: etenim ipsa est, quae praestet propositiones illas singulares.

§. XI.

Fuerunt haec, quae generatim usum ob oculos ponerent, quem philosophiae praestet philologia. Sed specialius iam rem attingamus, quod commodius fieri nequit, quam eundo per partes. Age igitur, ingrediamur paululum in ipsos philosophiae recessus, ac primum quidem in philosophiam, quam moris est appellare rationalem.

§. XII.

Sequamur ipsam animi triplicem potestatem, ac videamus primum, quantum de *ideis* doctrina ex philologia repetat utilitatis. Non vero animus est, totum hic emetiri campum, sed exempli tantum loco quaedam proponere.

Quo plus ergo progressionis aliquis fecerit in philologia, eo magis videbit, voces omnes, aut si mauis, terminos de rebus *νοεοῖς* h. e. in sensum non cadentibus translatas esse ab *αἰσθητοῖς*, quae scilicet sensus tangunt.

Quodsi vero magnum est, rem originetenus nosse, ut est, distinctius certe feliciusque tibi formabis notiones, si ordinaria & quasi regia via a primitiuis notionibus ad ea, quae inde paulatim abstracta sunt, transire potes.

Dimit-



Dimittit post egregiam huius capituli disputationem immortalis *Clericus* (b) lectorem suum in fine capituli bene monitum, ne notionibus abstractis facile credat: hae enim nobis res, non quales sunt, sed quales esse deberent, describunt; neque sine stultitia statuere possumus, res ita se habere, ut eas animo fingimus, quia eiusmodi esse par esset. Nusquam sane sunt notiones abstractae: verum a re ipsa, nomine notionis abstractae prolato auertitur animus conuertiturque ad imaginem inanem, inter ideas platonicas volitantem. Hominem certe non nosset, nisi Caium Semproniumque nosset; nec angelum, nisi Gabrielem, Michaelemque. Concreta vero dat nosse Philologia, quae si ignoras, omnia ignoras.

Generatim hic obtinet, quae *Gesnerus*: (i) *Re- rum simulacra quaedam sunt cogitationes, cogitationum verba imagines: tanto veriores cogitationes, quanto sunt rebus aptiores, tanto pulchriora verba, quo accuratius illas cogitationes pingunt.*

Mitto argumentum. Infinita enim exempla e philologia peti possunt omnis generis praeceptionum de ideis.

De iudicio aequè minus est, quod diu multumque disceptemus: quo quis enim plures omnis generis

(b) Art. Crit. P. II. f. II. c. V. it. P. II, f. II. C. I.

(i) Not. ad Hein. Prooem. p. 2.

ris enunciationes quotidie legit, & examinat, eo fortiorem iudicandi facultatem nanciscetur. Et quid est, quod logices praecepta de iudiciis diu mireris? Vera utique sunt; quae commemorant: sed nisi vim iudicandi ab alio numine concessam apportes, hancque crebro & continuo usu exerceas, h. e. re vera habeas, de quo iudices, valde equidem metuo tuae logicae.

Supereest tertium. *Ratiocinemur* ergo paulisper. Hic si quis ingenium exercere cupit, habet non minus campum apud veteres longissimum latissimumque, tamque latum, ut ultra terminos harum plagularum foret, in eundem diu exspaciari, & vel paucis commonstrare, quot & quam varia ratiocinandi genera apud priscos inuenias.

Nullum certe vilius logicae caput, si vel ipsos scholasticos adeas, tot syllogismos, tot ratiocinia, tot sophismata offeret soluenda, quot apud veteres deprehendis vel rhetores vel philosophos.

Abeas, si placet, vel ad sola *sophismata sophistarum* (k) vel ad vnicum hic *Gorgiam* (l) Seque-
re rationem socraticam (m); Offer caput *laqueis Stoicorum*

(k) *Sex. Emp. Pyrrh. hypot. L. II. C. XXII. Plat. in Sophist. Id. in Gorg.*

(l) *Plat. in Gorg.*

(m) Hanc totam breuissime nobis reddidit *Cic. Off. I. 30. De graecis autem dulcem & facetum, festiuique sermonis atque*
in



corum (n); solue oratorum argumentationes, enthy-
memata praesertim, Topica Ciceronis & libros orato-
rios ceteros ipsius & Quintiliani aliorumque, ratio-
nesque horum probandi facta; Historicorum denique
intuere ratiocinia! & habebis logicam & docentissi-
mam vtentissimamque.

Sequitur hinc, lectionem auctorum, cuiusmo-
di a philologis instituitur, esse perpetuam veritatum
logicam; quin parum esse duco, Logicam vel o-
ptimam memoria comprehendisse prae illa exercita-
tione, illoque habitu verum videndi, qui ex Phi-
lologia nascitur.

§. XIII.

Ad Metaphysicam transeamus, & huic num et-
iam philologia tribuat suum, perquiramus. De A-
ristote-

*in omni oratione simulatorem, quem egraeci graeci nomi-
nauerunt, Socratem accepimus. Quae eadem fine dubio
caussa, cur Zeno eum vocauerit Scurram Atticum. Cic. de
N. D. I, 34.*

Referendi huc etiam sunt dialogi veterum, in quibus
modo declarantur modo prenuantur & occultantur senten-
tiae: qui idem differendi mos & ipsi Socrati tam vsitatus,
vt inde haec methodus Socratica peculiariter audire soleat.

(n) *Diog. Laert. VII. §. 15. vid. Facciol. Dissertt. quas laudat,
et forte aliquando recudendas Exc. Gesnerus ad Quintil. I,
10, 5. se daturum Ipem facit.*



ristotele nemo philosophus saltem negat, ne hi quidem, qui quae de mundo habet, ne legere quidem possunt. Sic etiam constat, Platonem in Timaeo, Plotinum aliosque hanc partem dedita opera exposuisse. Sed & passim apud veteres omnia ea occurrunt, quae hodie suo systemati reddita leguntur.

In quantum Theologia naturalis pars huius doctrinae a nonnullis habetur, etiam Cicero huc referri debet: de N. D., Diu., Fato. De illis autem primis & generalibus notionibus multa subtiliter in Academ. & Tusculanis.

§. XIII.

Ad philosophiam morum quod attinet, hic plane principes reperimus veteres. Habes

- I.) Dogmata varii generis pro omni conformanda civili vita, vel totis libris tradita vel inspersa v-bique. Inuenis
- II.) Paraeneses fortes, acutas, iucundas & tempestiue prolatas; & quod omnium maximum est, vides & cum animi quadam admiratione commotioneque intueris
- III.) Exempla, quae praeceptis ipsis maioris sunt facienda. Imbecilliora solent esse sine his dogmata. Obiici ergo ne possit, inania praecipere, haec ostendunt, fieri posse, quae praecipuntur.

Habent



Habent hic, quae principes, rerumque publicarum gubernatores, quae in altissimo honorum gradu constituti quique, quae rustici, quae senes iuvenesque, quae omnes qui domi militiaeque viuunt, cum insigni vitae fructu intueri possunt atque sequi.

§. XV.

Sed restat non postrema philosophiae pars, quae scilicet rerum naturalium contemplationem indagationemque sibi vindicat. Etiam quid haec philologis debeat tanquam in transitu adhuc consideremus.

Offert haec pinacotheca curiosis naturae contemplatoribus multa millia experimentorum, non horum modo, qui obiter, sed qui dedito studio id agunt, vt *Aristoteles*, *Theophrastus*, *Plinius*, *Aelianus*, aliique. Quoties vel solius *Senecae* quaestiones naturales euoluo, Professore quasi physices cum grauitate non minus quam suauitate docentem intueri mihi videor.

Conferat, si cui virium periclitandarum libido est, vel solas de principiis rerum sententias, & alia placita philosophorum, *Plutarchi*, *S. Empirici*, *Laertii Diogen.*; examinet ex ipsis fontibus vel solius *Epicuri* systema apud *Lucretium*, hisque similia: plures forte, forte & sagaciores rerum naturalium inuestigatores in antiquo orbe deteget, quam temere

-putetur



Medicinam *Hippocratis* aliorumque veterum
maximi factam ab Hippocratibus nostrae aetatis *Boer-*
hauio, (cui & *Aretaeus* nouum splendorem debet)
& *Hallero*, nemo est, quem fugiat.

Quodsi vero multa non vidisse veteres excipias,
mirum non est, cum qui hodie quomocunque et-
iam philosophentur, insistant velut illorum humeris:
vnde nec mirari debet quisquam, longius hos posse
prospicere, quam quidem illi prospexerunt. Sed
maior in multis debetur antiquis laus, quia ratione
praeceperunt, nunc quae constant experimentis.

§. XVI.

Ad Philologiam denique si etiam referas studi-
um Historiarum, Eccles., Patrum primorum saecu-
lorum, Apologetarum, totamque quae vocatur phi-
lologia sacra, quam fiant omnia vberiora, facile ap-
paret me non monente. Paucis ergo statuam: in-
servit Philologia profana sacrae; vtraque Philoso-
phiae.

Vides hinc, & vident omnes, quod modeste
ipsemet ignoras,

VIR PURPURATE!
Quem prima pagina alloqui debebam, PRAE-
CEPTOR AETERNVM VENERANDE!
quo



quo nomine Te Professore philosophematum compellare debeant doctarum Sororum filii, quem tantum Philosophum venerabundi centenique non obruerent, nisi tantum eundem, nossent probatumque haberent Philologum.

Sed vident etiam, in primis nostri ciues optimi, quid sibi de Tuo regimine academico polliceri debeant.

Vt enim sapientissimi sunt philosophi, humanissimi philologi, vtrumque vtrique, sic non est dubium, quin pax & iustitia & omne bonum in hoc sacro literarum emporio Te duce porro, quod Deus faxit, arctissimum vinculum contentura sint.

Et si verum, quod equidem iudico, quod Deus ille philosophorum Plato reliquit, & in ore M. Antoninus Imperator ipse philosophus solebat habere, felicem esse rem publicam eam, in qua vel philosophi regnent, vel principes philosophentur, quid non gaudii capessat felix Georgia Augusta, cum penes Te sciat fore suum imperium?

Amat & veneratur ea Caput haecenus suum, Magnificum PENTHERVM: venerabitur nunc & amabit dignissimum successorem, cui vt prospere succedant omnia, in cordibus atque oribus votiuis est omnium.

Sit hoc VIR MAGNIFICE! aliquod meae in Te pietatis documentum! quod fore vt non operis pretio ac dignitate

26.

2




gnitate metiaris, nec officiis Tibi debitis sed solo gra-
ti animi studio, spem facit & consuetudo & ipsa hu-
manitas Tua non minimam.


Vale Vniuersitatis nostrae Insigne Decus & Or-
namentum! Vale PRORECTOR MAGNIFICE! non per
hos proximos sex menses, quibus OPTIMI GEORGII,
quem Deus amet! tenebis scepra; non per annum,
quem quatruiduo abhinc auspicabimur; sed perpetuo,
& quod facis, mihi rebusque meis in posterum faue!
Scrib. in Academia Georgia Augusta V. Kal. Ian.
A. O. R. CXCXCXXXVII.





Index.

1. Rud. Wedekindi Positiones de Insuperabilibus in Philosophiâ.
2. Christoph. Frid. Wied (Prof. J. G. Lantzi) de Causis in genere.
3. Jn. Gold. Carzius de Substantiarum an se mutua actione.
4. Endaandem von Loosan und ex vi desin nimpfligt.
5. Aug. Lud. Schlocher (Prof. J. F. Hillero) de Vita Dei.
6. Otto And. Weidenshausenius de Providentiâ divinâ.
7. Joach. Georg. Darjes de Semina hinc voluntarij, speciatim divini, indole ejus à Jure nat. discriminare.
8. Godofr. Nonquet de libero Arbitrio.
9. Jo. Schmidt (Prof. J. G. Waldino) de eo quod dicitur Indifferens.
10. Jo. Henr. Christoph. Hujden (Prof. G. H. Riborio) de Superstitionis, qua differt ab Idololatriâ, moralitate.
11. J. Dat. Meijndel von der Pöngelstimmung, der mannsch. der Pöngelstimmung zu werden.
12. Jo. Jac. Harck (Prof. G. H. Riborio) de Dissimulatione licitâ, exemplis S. D. comprobata. *
13. Prof. h. Nicol. Harckmann von der Pöngelstimmung, der Pöngelstimmung und Pöngelstimmung mannsch.
14. G. Henr. Riborio. de Oeconomia Patrum & methodo disputandi kat' inconvens. *
15. Georg. Guil. Alberti de Imputabilitate Somnii.
16. J. P. D. Gadanau von der moralität der Pöngelstimmung zu werden mannsch. Pöngelstimmung.
17. Nic. Epist. Wittlingi Pöngelstimmung mannsch. Pöngelstimmung der Pöngelstimmung, Pöngelstimmung mannsch. Pöngelstimmung.
18. Joh. Fr. Br. Tractatus de eo quod justum est circa conjugalis debiti præstationem.
19. Joh. Henr. Bredeme Jo. Petr. Müller de eo quod circa liram superum generationem offerendum est.
20. Joach. Georg. Darjes Doctrina Wolffii de potestate circa liram & bona calogistica contra Rethoriceum Defensio.
21. Nic. Burch. Surian (Prof. G. H. Riborio) de Antiquitatibus Judaico-christianis.
22. Chr. Bened. Michaelis de turcicis Poenarum capitalibus in S. S. commemoratis.
23. Jo. Ern. Imm. Waltherius de Philosophis veterum Efficis.
23. Jo. Leonh. Reckenberger de Hebraorum Electis vel Studiis. *
25. Rud. Wedekindus de Usa Philologia in Philosophiâ.
26. Jo. Henr. Mantzel de Nili historia librorum P. T. virtutibus & vitiis, occasione Leoniorum ad methodum historiae. (Causa effectorum.)
27. Georg. Frid. Meier (Prof. C. B. Michaelis) solocismus generis ab offitaji S. Codici Hebrai depulsus.
28. Sam. Zorn (Prof. Lud.) solocismus Capuum ab Ebriismo S. Cod. depulsus.
29. Jo. Christoph. Dedder (Prof. Lud.) de Paronomasia sacra. *
30. Frid. Theodof. Mulleri Demonstratio Particular Hebraorum esse Romina.
31. Mich. Godofr. Stein (Prof. C. B. Michaelis) de locoru differentia ratione antica, pœffica, dextra, sinistra.











Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn826115543/phys_0036

DFG




ria comprehendunt, & den
 alienam demonstrationem
 cantant, sibi que *μετὰ πολ*
 quod vel ipsi philosopho S
 proximo acceptum referre
 verum dicere fuisset visum

Sed si tertio loco dicen
 dicandi praesidiis tanto mag
 si qui veteres legunt & inte
 tos enim hi ponunt syllogist
 tiones; sed enthymemata,
 nes, quarum nexus iudicio
 gas. Est hoc vel ipsum iud
 sunt, quae iudicium afferat
 re vult.

Sed hic morbus est, d
 quo correpti plures verum
 re nesciunt. Scilicet legun
 ligere sibi videntur; aut ne
 rum hominum opinionibus
 cii pessimus?) occupati vel
 num, quid sapienter cogita
 fitum, quid ad sapientiae fa

deup

(d) In his duobus commatibu
 vt quid sinistri contra phil
 tam oblitus mei, vt vita
 vel suspectum reddam. A
 cuit praeceptor celebrati
 progr. de comparata scie
 statuendo pretio.



the scale towards document

e putant, vbi
 mandatam de-
 as vindicant,
 el praeceptori
 si hoc loco

quod res est, iu-
 s oportet esse,
 iunt: non to-
 ras demonstra-
 re enunciatio-
 atur, nihil a-
 im. At plura
 ulant, si sape-

is grassatur, &
 retium statue-
 lligunt: intel-
 it irritis vano-
 morbus iudi-
 id in eis diui-
 udenter expo-
 tius instruen-
 das

eo fuisse confeat,
 uerem. Non sum
 ipsemet accusem
 per adhuc me do-
 ll. Holmannus in
 it. & iusto cuius

26

2